

|     |     |     |     |
|-----|-----|-----|-----|
| 928 | 928 | 928 | 928 |
| 927 | 927 | 927 | 927 |
| 926 | 926 | 926 | 926 |
| 925 | 925 | 925 | 925 |
| 924 | 924 | 924 | 924 |
| 923 | 923 | 923 | 923 |
| 922 | 922 | 922 | 922 |
| 921 | 921 | 921 | 921 |
| 920 | 920 | 920 | 920 |
| 919 | 919 | 919 | 919 |
| 918 | 918 | 918 | 918 |
| 917 | 917 | 917 | 917 |
| 916 | 916 | 916 | 916 |
| 915 | 915 | 915 | 915 |
| 914 | 914 | 914 | 914 |
| 913 | 913 | 913 | 913 |
| 912 | 912 | 912 | 912 |
| 911 | 911 | 911 | 911 |
| 910 | 910 | 910 | 910 |
| 909 | 909 | 909 | 909 |
| 908 | 908 | 908 | 908 |
| 907 | 907 | 907 | 907 |
| 906 | 906 | 906 | 906 |
| 905 | 905 | 905 | 905 |
| 904 | 904 | 904 | 904 |
| 903 | 903 | 903 | 903 |
| 902 | 902 | 902 | 902 |
| 901 | 901 | 901 | 901 |
| 900 | 900 | 900 | 900 |

L.

LAICI.

1) Associatio Cleri ad ingress. in Eccles.

Cf. *Aspersorium Laicorum.*

*Duci* Segobriæ et Cardonæ ad Ecclesiam accedenti obviam ire debeant usque ad valvas Cathedralis cum habitu canonicali tertia pars Canonicoꝝ tunc adstantium in Choro, Sacristia ac toto ambitu Cathedralis, dummodo non sint pauciores duobus Canoniceis, inter quos esse debeat semper una Dignitas, eundemque Ducem associare ad sedem præparatam atque in discessu reassociare ad valvas Ecclesiæ. n. 849 die 16. Febr. 1630. Baronem (Rociæ) in capiendâ possessione sui Castri associare Clericos non teneri neque compelli posse. n. 2247 die 4. Aug. 1663.

Dux unius Terræ nullo pacto ab Episcopo suscipiendus; a Canoniceis vero juxta solitum. n. 2300 ad 2 die 22. Novb. 1664.

Capitulum, Dignitates et Canonice Segobriæ sive eorum aliquis sive aliqui *Duci* Segobriæ et ejus successoribus ingredientibus in Ecclesiam Cathedralẽ non teneantur occurrere nec associare eos usque ad eorum sedem seu alium quemlibet locum... imo a prædictæ associationis occursus obligatione perpetuis futuris temporibus liberi atque exempti omnino sint. n. 2582 ad 1 die 26. Mart. 1672.

*Ad dubium*: an Episcopus Suessanæ possit tolerare, ut Agens Ducalis Status Suessæ, prætextu capiendæ possessionis Agentiæ, excipiatur in Ecclesia a Superiore ejusdem cum pluviali et aspersorio et cum genuflexorio stratu et pulvinaribus sub et supra et cum: *Te Deum etc.*? S. C. resp.: Negative quoad omnes Ecclesias etiam regulares. n. 4081 ad 6 die 29. Novb. 1738.

Decreta authentica. II. Bd.

Marchioni Patrono Balneoli non licere associationem a Canoniceis cum habitu canonicali. n. 2610 die 3. Decb. 1672.

Neque Duci Ostunens. neque ejusdem Fratribus accedentibus ad Ecclesiam Cathedr. debet obviam ire Procurator Capituli sive alius Canoniceus ejusdem nomine habitu canonicali indutus et porrigere aspersorium. n. 3668 ad 7 et 8 die 24. Novb. 1703; n. 4204 ad 1 die 20. Sept. 1749.

Dux Ferrentilli esse excipiendum pro *prima vice* tantum a tertiâ parte capituli et ab Archipresbytero, qui aquam benedictam illi porrigat in janua Ecclesiæ. n. 4119 ad 1 die 4. Julii 1733.

*Ad dubium*: An Gubernator et Magistratus Civitatis, dum Vestibus Consularibus induti consuetis diebus ad Cathedralẽ accedunt, excipi debeant ab alterutro ex Canoniceis vel Capitularibus Cappa induto, qui Aspergillo ipsis Aquam benedictam porrigat?

S. C. . . respondendum esse censuit: „Affirmative.“

Atque ita rescripsit ac in omnibus servari mandavit die 27. Aug. 1836. n. 4794 ad 1.

2) Ante Clerum procedunt.

Vd.: *Confraternitates.* (locus in process.)

Clericos cotta indutos seu alio ecclesiastico indumento præferendos esse privatis personis. n. 2085 die 20. Novb. 1660.

*Ad dubium*: an in Congressibus coram Gubernatore dumtaxat civitatis Castelli in ejus cubiculo privato pro negotiis publicis habendis Clero competat præcedentia? S. C. resp.: præcedentiam supra deputatos laicales ecclesiasticis deputatis competere. n.

3518 die 9. Maji 1699. Vd.: *Instr. Clem. §. XX. n. 16.*

3) Distribut. cinerum, palmarum, candelarum et ss. Sacramenti etc.

Vd.: *Purificatio B. V. M.* (ordo et modus accipiendi etc.); *Communio Laicorum in coena Dom.*

4) Non deferunt paramenta eccles.

Cf. *Magistratus; Processio Corpor. Chr.* (Laici etc.); *Thuriferarius* (Laicus.) *Instr. Cl. §. XX. n. 7.*

Non licet Laicis regularibus delaturis in processionibus crucem et candelas usus albae, dalmaticae, Pluvialis ac similibus. n. 1972 ad 6 die 29. Mart. 1659.

5) Intortitia defer. prope SSmm.

Vd.: *Instr. Cl. §. XX. n. 7—9. Process. (Cand. Laicor.)*

6) Suntne in missae Sacrificio et Processione tecto vel detecto capite?

Vd.: *Pileum; Caput; Processio* (capite etc.); *Instr. Cl. §. XX. n. 12.*

7) A Presbyterio prohibendi sunt.

Vd.: *Presbyterium* (aditus vet.)

8) Quomodo se gerant in Ecclesiis?

Pius PP. V.

Ut Deo O. M., gloriosae Virgini et Sanctis omnibus debitus honor defera- tur, Gregorii X praedecessoris N. constitutionem innovantes ac statuta in Tridentino Concilio observari volentes statuimus et ordinamus, ut ad Ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant et omnes genibus flexis SSmm adorent, ad nomen *Jesu* cum exhibitione reverentiae caput inclinent, nullus in Ecclesiis seditionem faciat, tumul-

tum excitet, clamores moveat impetumve committat, cessent vana, foeda et profana colloquia, risus immoderati et strepitus omnes judiciorum et alia quaecunquae, quae divinum off. perturbare possunt. *Nullus intra ecclesias deambulare audeat, dum celebrantur s. mysteria et divina officia . . . . Pauperes quoque mendicantes seu elemosynas petenter per Ecclesias tempore missarum, praedicationum aliorumque divinorum officiorum ire non sinant Ecclesiarum Rectores sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant . . . . Datum Romae 1. Apr. 1566.*

(Bull. mag. rom. tom. II. p. 193. ed. Luxenb.)

Vd.: *Instruct. Clem. §. VI. 13; Mulier* (Separatio.)

9) Thurificatio.

Vd.: *Incens. Laicorum; Mulier* (Pax etc.); *Magistratus.*

Princeps magnus Dominus loci non recognoscens superiorem, thurificatur immediate post Episcopum. Imperator tamen et Reges indistincte ante Episcopum sunt thurificandi. Proreges vero et Gubernatores Regnorum ac Provinciarum immediate post Episcopum; Magistratus civitatum thurificantur post Dignitates et Canonicos, nisi sint de majoribus et perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, nisi rursus Canonici sint parati, quia tunc et ipsi thurificantur post Canonicos paratos. Barones et Domicelli sine titulo post Magistratus omnes. Hi omnes ab iis thurificantur, ad quos ex consuetudine id munus pertinet. *Caer. Ep. I. I. c. XXXIII. n. 30.*

LAMENTATIONES.

(Quis cantat?)

Si Cantores, qui lamentationes cantent, haberi non possunt, tam lamen-

tationes quam lectiones cantandas esse a Canonicis, incipiendo a junioribus. n. 582 die 4. Apr. 1620.

Exponente Episcopo Bituntino ab-usum in ejus Cathedrali introductum in Matutinis Tenebrarum cantari solitis tribus ultimis diebus hebdomadae s., nempe ut primae duae Lamentationes cantentur per Dignitates, tertia vero per Episcopum, S. C. resp.: servandum esse Caerem., quacunque praetensa consuetudine in contrarium non obstante. n. 2497 die 31. Maji 1670.

*Ad dubium:* an Dignitates (Cathedr. Bitunt.), quae in Officio majoris hebdom. intonant antiphonas, teneantur etiam canere Lamentationes? S. C. resp.: Servetur Caerem. rom. n. 4075 ad 26 die 19. Julii 1738.

Finito *Pater noster* etc. Cantores accedunt cum debitis reverentiis altari et Episcopo ad Legile praeparatum in medio chori seu ad locum consuetum secundum consuetudines ecclesiarum, et ibi cantant Lamentationes. . . *Caer. Ep. I. II. c. XXII. n. 9.*

Vd.: *Lectiones.* (Cantor.)

LAMPAS.

1) Ante Imagines SS.

Vd.: *Lamp. ante SSmm.*

*Ad dubium:* an permitti possit, ut ante Imagines in medio Altari positas apponantur lumina ex oleo, quae immineant Mensae, et ardeant etiam tempore Sacrosancti Missae Sacrificii? Et S. eadem R. C. . . . respondendum censuit ut infra, videlicet:

„Negative in omnibus, nec lumina, nisi cerea, vel supra Mensam Altaris, vel eidem quomodocumque imminencia adhibeantur.“

Et facta de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. Responsa adprobavit confirmavitque, atque, ut cunctis pateant, Decretum generale desuper expediri

typisque evulgari mandavit. n. 4578 ad 7 die 3. Apr. 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Haud decet, ut in Altari, ad offerendum Deo immaculatam Hostiam erecto, in quo cuncta munda sint oportet, lumina ardeant ex oleo, cujus decidentibus guttis, tobaleae supra Mensam extensae sordidis persaepe maculis inficiuntur. Idcirco si lampades accendi velint in honorem alicujus Sancti, cujus Imago in medio Altaris sita est, vel lateraliter extra Mensam ponendae sunt, vel pensiles e conspectu Altaris.

*Clemens PP. XIV.*

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joan. Pereira frater expresse professus Ord. SS. Trinit. Redempt. Captivorum . . civitatis Lisbonensis, quod carissima in Christo filia Nostra Maria Anna Victoria Portugalliae . . . Regina pro sua eximia et singulari erga coelorum reginam devotione summam 3 millium ducatorum aureorum contulerit, ut ex eorum redditibus annuis comparato oleo lampades diu noctuque ante ipsius Deiparae imaginem semper accensae retineri debeant; hinc dictus exponens ut piissima voluntas Mariae Annae perpetuum suum assequatur effectum, quamcunque consumptionem et distributionem dictae Summae seu fundi in alios usus per Nos prohibitum declarari plurimum desiderat.

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati omnibus et singulis personis quacunque auctoritate vel superioritate fungentibus et functuris, ne ullo unquam tempore dictam Summam seu fundum in alios usus distribuere atque consumere vel ut distribuatur seu consumetur permittere aut consentire sub quovis quaesito colore, praetextu vel causa audeat seu prae-

sumat sub excommun. latae sententiae et quoad Regulares etiam ejusdem conventus ministros privationis officii ac vocis activae et passivae poenis per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione incurrendis, a qua Nemo nisi a Nobis seu rom. Pontifice praeterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium valeat obtinere tenore praesentium interdiximus. Non obstantibus Quibuscunque etc. Romae die 30. Junii 1772.

(Bull. r. Continuatio t. IV. p. 444. Ed. Rom. 1841.)

### 2) Ante SS. Reliquias.

Vd.: *Reliquiae* (expositio; lumen), *Lamp. ante SSmum.*

### 3) Ante SS. Sacramentum.

Lampades ardentes numero impari in Ecclesiis adsint tum ad cultum et ornatum tum ad mysticum sensum. Hae vero inprimis adhibendae sunt ante altare vel locum, ubi asservatur SSmum et ante altare majus, quibus in locis *lampadarios pensiles* esse decet plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante altare majus erit, tres ad minus, qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. *Ante vero reliqua singula altaria* singulae possunt lampades appendi, quae quidem in praecipuis festis, saltem dum vesperae et missa sol. decantantur, continue ardeant.

Ante SS. Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensae tota die adsint; sed et ante locum et fenestellam *confessionis*, ubi consuetudo est lampades ardere, servanda est. Possunt etiam in altari majori vel aliis, quae habent *ciboria*, circumcirca lampades appendi. *Caer. Ep. l. I. c. XII. n. 17.*

Ex speciali privilegio posse concedi, ut in Ecclesia, etiam quod non sit... parochialis sed simplex, in locis ubi non adest parochialis, *possit asser-*

*vari SS. Sacramentum*, de consensu Ordinarii et absque Parochi, intra cujus parochiae fines existit, praejudicio, dummodo Ecclesia sit decens et solita conferri in titulum et nunc habeat Beneficium perpetuum, qui ejus curam gerat et Sacramentum possit caute custodiri et ibi *lampas perpetuo accensa habeatur.* n. 51. 23. Mart. 1593.

Omnino lampadem esse retinendam intra et ante altare SSmi, ut continuo ardeat. n. 3525. die 22. Aug. 1699.

Legato de lampade ardente ante SS. Sacram. satisfaciunt haeredes per subministrationem olei, apud ecclesiae rectorem remanente cura ut continuo ardeat. S. C. Ep. 25. Apr. 1599.

Vd.: *Missae in Coena Dom.*; *S. Sepulchrum*; SS. Sacram. (asservat.) *Orat. priv.* (Bull. Pii VIII. die 29. Jan. 1830 et alias.)

### LANX.

Vd.: *Parasceve* (ador.); *Oblatio* (in Parasceve.)

Caeremonarius debet prope ipsum pulvinum ponere lancem ad dexteram adorantis, ubi pecuniae, quae cruci offeruntur, ponantur. *Caer. Ep. l. II. c. XXV. n. 24. c. XXVI. n. 10.*

Prius (ante osculum crucis) tamen offert Episcopus seu offerre facit in lancem pecunias ad libitum. *Ibid. c. XXV. n. 25.*

Episcopus assistens crucem osculatur, offerens tamen prius cruci pecunias, quas volet offerre. *Ibid. c. XXVI. n. 11.*

### LATERAN. ECCLESIA AD S. JOANNEM.

(*Ejus praeceminentia etc. supra omnes Urbis et Orbis Ecclesias ac Basilicam s. Petri.*)

Vd.: *Constit. Pii V.* die 12. Decb. 1569. (Bull. r. t. II. p. 315 ed. Luxbg.) *Constit. Honorii III.* die 25. Apr. 1221 (*Ibid. t. I. p. 65*); *Constit. Gregorii XI.* die 23. Jan. 1372. (*Ibid. t. I. p. 262.*); *Basilica.*

### LATERNA

(*In processione SSmi.*)

Vd.: *Instructio Clem. §. XX. n. 11.*

In sol. SS. Sacramenti Processionibus praeter consueta lumina quatuor saltem semper laternae cum intus accensis candelis circa celebrantem deferantur. *Conc. Rom. sub Bened. XIII. 1725. tit. 15. c. 7.*

### LAUDA ANIMA MEA.

Vd.: *Officium def.* (Omissio.)

### LAUDES.

#### 1) Cantus.

Vd.: *Nativit. D. N.* (*Off. Cantus.* decr. n. 4582 etc.; *Chorus* (cantus.)

*Ad dubium*: An ob immemorabilem consuetudinem tolerari debeat usus post solemne Matutinum Laudes sine cantu recitandi in solemnioribus Anni Festis? S. C. resp.:

„Affirmative, illis diebus exceptis, in quibus Archiepiscopus, postquam Matutinum solemniter peregit, Laudes quoque solemniter celebrare voluerit.“ n. 4672 ad 3 die 12. Novbr. 1831.

*Ad dubium*: Et quatenus affirmative, utrum idem usus sit ferendus in Festo trienniali Sancti Raynerii Pisani Confessoris et Dioecesis Patroni principalis? S. C. resp.:

„Negative.“ n. 4672 ad 4 die 12. Novbr. 1831.

#### 2) Dignit. celebrans.

Absente vel impedito Episcopo tenetur prima Dignitas celebrare solemniter Laudes. n. 1044. die 21. Junii 1636.

#### 3) Recitatio in choro non omittatur.

*Ad dubium*: An ratione immemorab. consuetudinis in Festo Assumptionis

Beatae Mariae Virginis ferri queat, quod recitatio Laudum omittatur, et privatim tantummodo a paucis Cappellanis tempore nonae Lectionis, et Hymni *Te Deum* eae persolvantur? S. C. resp.:

„Assertam consuetudinem non esse ferendam, et Laudes in Choro alternatim, solemni Matutino absoluto, recitandas esse.“ n. 4672 ad 5 die 12. Novb. 1831.

#### NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Consuetudinem hanc S. R. Congregatio non ferendam decrevit, utpote contrariam Rubricae legibus, novam prorsus et idcirco improbandam. Si quidem omnes sive Canonici, sive Beneficiati, aliive hujus generis Ecclesiastici, qui Choraliter gaudent munere, tenentur *omnibus Canonicis Horis praesentes adesse non solum, sed et in Choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devotique laudare*, ut Concilium Lateranense *Tom. 2 part. 4 Sess. 2 §. 59. et seq.* silentium nonnullorum psallendi tempore improbandum, et Concilium Tridentinum *Sess. 24 c. 12 de Reformatione* loquuntur. Jam si teneantur *omnibus Horis Canonicis* adesse, et adesse ad psallendum, nec sola praesentia sufficit ut hoc adimpleant munus, eo etiam debent modo atque ordine psallere, qui ab Ecclesia statutus est; et sicut qui adest sola praesentia, quin psallat, quique comparari potest mutis simulacris, ut inquit *Benedictus XIV. in sua 107. Institutione*, et fructus non percipit, ita, ut sponte fluit, tenentur omnes et singulas Horas cantare vel recitare, prout cujusque Ecclesiae Constitutiones, tempora, dies, solemnitates vel praecipiant, vel exposcunt; atque hinc patet nullam ab illis omitti Horam canonicam posse, nec anteverti, nec confundi; secus dici deberet, aut dua-

bus obligationibus, quae ex lege successivae sunt in Choro, uno eodemque tempore posse satisfieri, si, dum ab aliis *Nona Lectio et hymnus Te Deum* decantantur, ab aliis Laudes submissa voce dicuntur; aut Canonicos satisfacere obligationi recitandi Laudes, si, dum ab ipsis cantatur praedictus hymnus soli Capellani harum recitatione ab illis penitus omissa, hae, praedicto tempore, a paucis tantummodo, ut in dubio, recitarentur. At falsum utrumque est, et neutrum probatione indiget, ut quisque facili negotio intelligit. Quisque enim, sive privatim sive publice tenetur, et per se tenetur divinum recitare Officium et leges servare, quae recitationem sive publicam sive privatam respiciunt, nec obligationi putet satisfacere, si quid omittat; vera autem omissio est ea, de qua in dubio est sermo; Capellani enim in casu nostro pro Canonicis et Beneficiatis Laudes recitent, quas ipsi omittunt: hoc autem admitti nequit: ex Concilii enim Tridentini verbis supra allatis consequitur Canonicum sive alium quemque muneris suo deesse, si quosdam alios solum psallere permittat, is autem omittat, aut pro se eum supplere sinat, qui pariter tenetur psallere, quique idcirco supplere nequit.

Quid vero dicendum nostro in casu, si integra omittatur Hora a Canonicis, aliis pro se suppletibus alterius Horae canonicae tempore? Onus autem singulorum est, singulas Officii partes, et eo ordine, quo sunt dispositae, recitare. Quid autem Officii nomine intelligatur, ad cuius recitationem singulis diebus tenentur, qui sacris Ordinibus initiati sunt vel clerici. Beneficio praediti, satis percipitur ex cap. *Presbyter* de celebratione Missarum, ubi haec habentur: *Si Matutini* (id Laudes etiam complectitur) *Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae,*

*Completorii tempore, nostrae servitutis officia persolvamus:*

Totum itaque Officium his diversis Horis constituitur. Canonici, ut et alii omnes, idem facere tenentur, hoc solum interposito discrimine, quod alii Clerici, quocumque in loco persolvere Divinum Officium possint, Canonici vero, ceterique omnes, qui alicui addicti sunt Ecclesiae, ad eam convenire, et ibi idem Officium recitare aut canere omnino debeant. Dubitandum autem non est, quin haec lex Cathedralis et Collegiatis Ecclesias comprehendat, et colligitur ex *Clementina Prima de celebratione Missarum*, in qua haec sunt: *In Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis.*

Dixi singulas Horas recitari vel cani, prout tempus exposcit, in Choro debere, et ita, ut una ab alia distincta sit, quemadmodum Ecclesia illas distinctas voluit, et ita etiam, ut earum non invertatur ordo, nec una cum altera confundatur, nec pariter una eo tempore recitetur, quod alteri est praescriptum. Confunditur autem, si unius Horae recitationis tempore altera, ut in casu, recitatur, quod intentioni, fini et statutis Ecclesiae adversatur. Ecclesia autem, ut Horas, sic et tempus eas recitandi assignavit, a quo, ut videtur, et nomen unaquaque Officii pars desumpsit suum. Quid si primae Ecclesiae Fidelium morem inspiciamus?

*Olim Christiani*, scribit Cardinalis Bona, *tribus primis vigiliis tres Nocturnos divisim, quarta vigilia Laudes recitabant. Tantis erat ardor charitatis, ut quater in nocte surgerent ad orationem, prima vigilia ad primum Nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad tertium, quarta ad Laudes persolvendas, vel omnes simul, vel divisi in cohortes.* Haec disciplina sive vetus mos generice obsolevit, licet quaedam Monasticae familiae et Re-

ligiosae aliquod de hac veteri consuetudine retineant vestigium. Nunc in praesenti disciplina, loquor de Clero saeculari praesertim, statutae sunt quidem Horae pro recitandis divinis laudibus seu psalmodia; sed quamvis diversa ab antiquioribus sint assignata tempora, tamen tempus unicuique Horae debetur, licet hoc non accuratissime, ut Horarum nomen indicat, servetur, sed juxta praesentem disciplinam utcumque servatur. Ecclesia insuper, per Rubricarum dispositiones et statuta, tempus ad Sacrum celebrandum constituit modo post Tertiam, modo post Sextam vel Nonam, ratione habita vel ad tempus vel ad mysteria, quae aut recolit aut ad quae nos praeparat et vocat, vel ad moestitiam aut gaudium, vel ad Missae qualitatem, quae omnia ex Rubricis ipsis desumuntur, quae quidem probant ita eam voluisse Horas Officii Divini etiam tempore distinctas, ut ad servandam hanc distinctionem et veterem recitandi morem, Sacrum Divinum esse peragendum inter unam alteramque Horam jusserit. His omnibus positus quid dicendum foret de hoc in dubio asserta allataque consuetudine, et a S. R. Congregatione improbata, si ea cum veteri Ecclesiae disciplina aut praesenti etiam conferatur? Nihil profecto aliud nisi quod directe intentioni, fini et statutis Ecclesiae adversetur. Tandem, quod hic decretum est a S. Congregatione cum alio Decreto concordat, quod edidit in *Casalen, die 3. Aprilis 1751.* In hoc enim Decreto proposito dubio respondit: *Canonicos non satisfacere obligationi Chori recitando modo praedicto Completorium, tempore, quo a Musicis Vesperae decantantur:* Modus autem hic erat, ut ex immemorabili asserta consuetudine Canonici Ecclesiae Cathedralis, diebus Dominicis aliisque Festis infra Annum occurrentibus, quando a Musicis Vesperae decanta-

bantur, consueverant eo tempore bini et bini Completorium persolvere. Modus hic a S. R. C. reprobatus nihil omnino differt a modo, de quo est sermo in praesenti dubio, nempe recitandi Laudes tempore hymni *Te Deum*, quinimmo aliquid magis contrarium praebet: nam in dubio *Casalen.* omnes recitabant Completorium. In hoc autem a Canonicis Laudes prorsus omittentur, quod certe majorem defectum consideranti offert. Ac propterea haec S. Congregatio Ritibus omnibus sua in integritate ac puritate servandis protuendisque instituta, consuetudinem hanc suo Decreto non ferendam declaravit. Illa enim aequae ac ista asserta consuetudo statutam singularem Horarum divisionem ac distinctionem tollit, earumque permutationem et confusionem inducit, quae, iterum dicam, intentioni, fini, statutis Ecclesiae quam maxime adversatur, ac proinde abusus debet appellari, et omni prorsus ratione eliminandus, quemadmodum hoc suo Decreto S. R. Congregatio jure meritoque sancivit.

#### 4) Tempus recitandi.

Vd.: *Laudes* (cantus); *Matut. et Laud. conjunctim recitant.*; *Laud.* (recit. in choro etc.)

### S. LAURENTIUS.

*De ejus vigilia anticip.*

Vd.: *Vigilia jejun.* (decr. n. 2605.)

In die s. Laurentii Titularis alicujus Ecclesiae Cathedralis vel Matricis nullius Dioecesis non est recitandum Symbolum in aliis Ecclesiis ejusdem Loci, sed tantum in Ecclesia propria. S. R. C. 23. Mart. 1709.

### S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

*Decretum Urbis et Orbis.*

Ab omnibus fidelibus utriusque sexus,

qui ad horas canonicas tenentur, in posterum die 5. Sept. sub ritu semid. de *praecepto* s. Laurentii Just. Officium et missa recitari et celebrari debet. n. 4282 die 12. Sept. 1759.

(Vd. Bull. r. Contin. t. I. p. 224. Edit. Rom. 1835.)

Juxta Rescriptum S. R. C. 22. Jan. 1752 approbatum fuit Officium Proprium S. Laurentii Justiniani pro Clero Civitatis ac Dioecesis Venetiarum, quod deinceps concessum fuit aliis Dioecesibus. Quum itaque omnes Antiphonae praedicti Officii constent verbis ex respectivo Psalmo desumptis, et quinta Antiphona ad primas Vesperas hisce verbis constet: *Nomen Domini laudavit semper, ita confirmatae sunt super eum misericordiae ejus*: desumpta ex infrascripto Psalmo — *Laudate Dominum omnes gentes*: et alias in secundis Vesperis legantur haec verba: — Omnia ut in primis — quaeritur: an ultimus psalmus in secundis Vesperis debeat esse ut in primis correspondens Antiphonae vel, — *Memento Domine David*: jam a Rubricis generalibus pro Confessore Pontifice praescriptus?

Emi. et Rmi. P . . . rescribendum censuerunt:

Dicendum Psalmum: *Memento Domine David*.

Atque ita rescripserunt propositaque Dubia declaraverunt. n. 5196 ad 6 die 17. Sept. 1853.

## LAURETANA DOMUS.

Vd.: *Lytaniae B. V. M.*; *Velum B. V. M.* (statuae etc.)

## LAVABO.

### 1) Dignitarii.

Non licet primae Dignitati Cathedr. Spolet. in Capella, ubi celebrat, ante et post Sacrificium abluere manus. n. 2967 ad 4 die 20. Sept. 1681.

Peracta communione (in Parasc.) Praelatus accepta mitra in cornu Epistolae lavat manus. *Caer. Ep.* l. II. c. XXVI. n. 21.

### 2) Episcopi.

Vd.: *Ablutio. Mantile*.

#### a) Modus et Minister.

Cum Episcopus celebrat, familiares vel nobiles, qui ei ad lotionem manuum ministrant, genuflexi officium suum peragunt, nisi adesset legatus Cardinalis vel suus Metropolitanus, quo casu ob reverentiam illorum non genuflexi sed inclinati ministrant. Et pari modo, si aliquis Suffraganeus vel alius Episcopus celebraret praesente proprio Episcopo.

*Caer. Ep.* l. I. c. XVIII. n. 15.

Extractis annulis Episcopus lavat manus, et tunc Laici tantum et Clerici omnes praeter Canonicos et Praelatos debent genuflectere, nisi adesset Legatus aut alter dignior Episcopo, quo casu non debet permittere, ut genuflectant.

Cum sumitur aqua ex abaco pro lotionem manuum Episcopi ab aliquo nobili viro, poterit fieri praegustatio illius a ministris vel scutiferis illam suggerentibus; sed si ipsi portantes aquam non sint ex nobilibus civitatis sed ex scutiferis seu familiaribus Episcopi, non utique ex forma portabunt, prout dicti nobiles, sed dextera manu urceum cum aqua, sinistra vero lancem, et cum fuerint ante Episcopum, genuflexi infundant paululum aquae super labio ipsius lancis eamque praesente Episcopo degustant, tum aquam supposita lance super manus Episcopi infundunt; *Presbyter autem assistens* porriget Episcopo mantile ad tergendum manus; quibus tersis reponuntur ei annuli ab eodem Presb. assistente. Haec forma lotionis manuum servatur semper, quando Episcopus intra Mis-

sarum Solemnia et in aliis quibusdam actis s. publice lavat manus. *Caer. Ep.* l. II. c. VIII. n. 10. 11.

Cum Episcopus celebrabit missam *privatam* paramenta ex ipso altari accipiat, postquam aliquo ejus familiari ministrante laverit manus. *Caer. Ep.* l. I. c. XXIX. n. 1.

Vd.: *Lavabo Ep.* (Quoties.)

Si Celebrans esset S. R. C. Cardinalis vel Archiepiscopus aut Episcopus valde insignis, possent ad hujusmodi ministerium ablutionis manuum ipsius celebrantis invitari aliqui ex Magistratu vel Proceribus et nobilibus viris illius civitatis, qui velo serico, circum spatulam extenso, duas argenteas lances seu fontes, si commodum erit, quos bacilia vocant, cum aqua odorifera, extremitate ejusdem veli coopertos suo tempore ministrent, praesente clavigero seu maccerio cum clava argentea, si est Cardinalis, quo casu convenit etiam praegustationem dictae aquae fieri apud abacum a ministris vel scutiferis illam ipsi nobili exhibentibus, omnesque praedicti, sive ex familiaribus Episcopi sive ex nobilibus civitatis sint, eundo et redeundo genuflectunt usque ad terram ante altare, ante Legatum, si adsit, et ante Episcopum; sed praesente Legato Cardinali non Legato vel Metropolitano non ita profunde ante Episcopum genuflectant. Eorum locus, si fuerint ex familiaribus Episcopi, erit apud abacum, ubi stabunt inter mensam et murum capite semper detecto et versa facie ad Episcopum; si ex Magistratu vel ex nobilioribus civitatis, sedebunt in loco pro ipsis deputato, extra Presbyterium, unde suo tempore per Caeremoniarium vocabuntur et associabuntur euntes et redeuntes. Idem ministri adhibentur, si Episcopus celebrans non sit proprius illius civitatis, perinde, ac si in propria Ecclesia celebraret, *excepto Acolytha de baculo pastoralis*. Dicti

omnes ministri necessarii sunt etiam in Missis non per Episcopum celebratis, in Ecclesiis Collegiatis, praeter illos, qui ministrant mitram, baculum pastorem et gremiale, quae sunt Episcopalis dignitatis propria: familiares autem minime sunt necessarii, cum nec abacus aut mensa erigatur, sed ad ablutionem manuum celebrantis post Offertorium serviet Acolythus. *Caer. Ep.* l. I. c. XI. n. 12.

#### b) Quoties?

Quater Episcopus in Missa lavat manus: 1) antequam capiat paramenta, 2) statim post lectum Offertorium; 3) post incensationem oblatores (et altaris); 4) post Communionem. *Caer. Ep.* l. I. c. XI. n. 11; l. II. c. VIII. n. 76; l. II. c. XI. n. 2. 6; l. II. c. XXV. n. 34. 35.

Episcopus bis lavat manus in missa *privata*: 1) post Offertorium et post Communionem, et semper in lotionem familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim, Capellani vero mantile. *Ibid.* l. I. c. XXIX. n. 10.

#### 3) Coram SS. Sacramento.

*Ad dubium*: an sacerdos celebrans in altari in quo expositum est SSsum. debeat descendere ex supremo gradu aliquantulum extra altare in cornu Epistolae ad lavandas manus, prout Missale praescribit in fer. VI. Parasc.? S. C. resp.: Serventur rubricae missalis. n. 2992 die 22. Aug. 1682.

*Ad dubium*: Quum Celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito debeat thurificari et lavare manus extra Altare, debetne stare in plano Presbyterii, an in supremo gradu Altaris? S. C. resp.: „Servetur consuetudo: dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento.“ n. 4669 ad 52 die 12. Novbr. 1831.

Vd.: *Instr. Cl.* §. XXX. n. 17. 28.

Postea (*incensato altare in Parasc.*) Episcopus aliquantulum extra altare in cornu Epistolae lavat manus nihil dicens. *Caer. Ep. I. II. c. XXV. n. 34.*

Celebrans extra cornu Epistolae stans versus populum sine mitra lavat manus (*in Parasc.*) *Ibid. c. XXVI. n. 19.*

Finita communione (*in Coena Dom.*) . . . Episcopus retrahit se extra cornu Epistolae versa facie ad populum, ubi lavat manus sine mitra. *Ibid. c. XXIII n. 7.*

## LECTIO NONA.

### 1) Canonici hebdomadarii.

Ad nonam lectionem, quae per celebrantem Canonicum vel hebdomatarium in stallis canonicalibus vel prope altare tum etiam pluviali indutum cantetur, Canonici et reliqui de Clero stare non tenentur. n. 1966 ad 1 die 15. Febr. 1659.

Vd.: *Benedictio in Matut.; Lectiones* (modus cantandi).

Circa finem 3. n. Canonici faciens Officium accipit Pluviale coloris temporis congruentis et duo Cantores similiter vel plures, si consuetudo sit, induunt pluvialia. Cum cantatur 8. Resp. duo Acolythi sumunt candelabra, quae cum candelis accensis deferunt aut Canonicum paratum et ea tenent, donec legerit totam lectionem et incoeperit: *Te Deum etc. Caer. Ep. I. II. c. VI. n. 15.*

### 2) Episcopi.

Ad Episcopum pertinet cantare nonam et ultimam lectionem, quando Matutinum solemniter celebrat. n. 532 die 18. Mart. 1617.

Episcopo nonam lectionem cantante Canonici et reliqui de Clero stare tenentur. n. 1966 ad 1 die 15. Febr. 1659.

Nona et ultima lectio dicetur ab

ipsomet Episcopo. *Caer. Ep. I. II. c. V. n. 4.*

Vd.: *Jube Domne.; Lectiones* (Cantor.)

Nonam lectionem cantat ipse Episcopus stans in sua sede Pontificali cum cappa detecto capite conversa facie ad altare, ad quem tunc et non prius accedunt duo Diaconi assistentes et ministri de candela et libro. Episcopus autem, si non aderit in choro major se, stans dicit cantando versus altare: *Jube Domine* (non *Domne*) cui absolute respondetur per chorum: *Amen*. Si vero adesset Legatus aut aliquis Praelatus major se, Episcopus versus ad illum peteret benedictionem; ille vero stans in loco suo responderet: *Ad societatem etc.* vel: *Per evang. dicta etc.*, factis tamen prius mutuis reverentiis inter Episcopum et Legatum seu alium Superiorem majorem. Et dum Episcopus cantat suam lectionem, omnes pro ejus reverentia stant detecto capite. Qua finita Episcopus profunde caput versus altare inclinans dicit: *Tu autem Dom. etc.* et resp. per chorum: *Deo gratias. Caer. Ep. I. II. c. V. n. 9.*

Cantata nona lectione per Episcopum (*in Matutino Nativit. Dam.*), ad quem iterum duo Assistentes Diaconi in habitu choralis debent accedere, intonat *Te Deum etc. Ibid. c. XIV. n. 9.*

### 3) De homilia Dominicae.

Vd.: *Lectio nona de Simpl.* (decr. n. 4746; 4767.)

### 4) De Sanctis.

Cf.: *Lectiones de Sanctis; Octava Corp. Chr.* (Off. infra etc.); *Officium* (transf. in sequ. annum, decr. n. 4039; 4810.)

Infra octavam SS. Corp. Christi recitari debere nonam lectionem de Sancto simplici, de quo in Laudibus facienda est commemoratio, ex quo ejusdem so-

lemnitatis sint Ascensionis et Corp. Chr., ut utraeque admittant commemorationem simplicium, nec dispar ratio possit assignari, quod in una sit peragendum, in alia ommittendum videatur. n. 2013 ad 1 die 22. Nov. 1659.

Occurrente festo duplici infra octavam SS. Corp. Chr. ac etiam festo Sancti simplicis nonam lectionem habentis, de hoc Sancto recitari debet nona lectio tam apud Saeculares quam Regulares, qui ad horas canonicas tenentur. n. 2872 die 21. Jan. 1679.

*Ad dubium*: an infra octavam SS. Corporis Chr., quando contingat in Officio fieri debere commemor. festi simplicis, sit pariter de eodem festo recitanda 9. Lectio? S. C. resp.: *Negative*. n. 2483 die 8. Junii 1669.

*Ad dubium*: Quum decisum fuerit, non debere legi 9. l. de festo simplici, quando occurrit de eo fieri commemor. infra octavam SS. Corp. Chr., supplicatur: an debeat legi si dictum festum simplex concurrat cum duplici infra eandem octavam? S. C. resp.: Est dicenda 9. l. n. 2561 ad 1 die 12. Sept. 1671.

*Ad dubium*: Dum occurrit festum dupl. in octava Corp. Chr. cum simplici, utrum 9. l. de simplici legenda? S. C. resp.: Legendam esse 9. l. de simplici in Officio de Sancto dupl. infra oct. Corp. Chr. n. 3301 ad 9 die 10. Jan. 1693.

*Ad dubium*: an infra octavam Corp. Chr. occurrente festo 9 ll. vel trium, intelligatur eo die militare rubrica Breviarii ante dictum festum posita atque decretum 8. Junii 1699 de non recitanda 9. l. festi simplicis occurrentis infra dictam octavam, an potius eo die legi illa debeat? S. C. resp.: In Officio tantum de octava ommittendam 9. l. festi simplicis. n. 3718 ad 7 die 4. Apr. 1705.

*Ad dubium*: an Dominica infra octavam Corp. Chr. in iis locis, in qui-

bus dicta octava respuit omnia festa praeter illa 1. cl., gaudeat privilegio octavae excludendi scilicet 9. l. de festo simplici in ea occurrente? S. C. resp.: *Affirmative*. n. 4475 die 16. Sept. 1801.

*Ad dubium*: an de semid. et dupl. min. (pro quorum transl. non superest locus in toto anno) legenda sit 9. l. ad Matut., composita ex omnibus eorum lectionibus ppr. 2. n. ad modum unius in omnibus dupl. 1. cl., exceptis illis trium ll., festo et octava Corp. Chr. et quoties legenda occurrat 9. l. de homilia super Evang.? S. C. resp.: *Affirmative* exceptis illis trium ll. etc. n. 4378 ad 5 die 15. Junii 1776.

*Ad dubium*: Occurrente in Solemnitate Ascensionis D. aliquo Officio ritus dupl. vel semidupl., quod ad anni exitum reponi nequeat, an de hoc Officio praeter commemorationem in utrisque Vesp. „Laudibus et Missa. apponi etiam debeat IX. Lectio historica ex duabus vel tribus una? Et S. eadem C. . . rescribendum censuit: *Affirmative* juxta alias decreta. Atque ita servari mandavit. n. 5084 ad 2 die 17. Febr. 1847.

*Ad dubium*: 1. An Dominica infra Octavam SSmi. Corp. Chr. adnumerari debeat diebus infra Octavam, ita ut excludat IX. Lectionem de Simplicis, vel e contra?

2. An id valeat etiam in Calendario Veronen. ubi ex Decreto s. m. Pii Papae VII. diei 16. Nov. 1819 ab universo Clero Civitatis ac Dioecesis Solemnitas Corporis Christi agitur cum Octava adeo privilegiata, ut intra ipsam locum tantum habeant duplicia I. et II. Cf.?

Et S. eadem C. . . respondendum censuit:

„*Affirmative* ad utrumque.“ n. 5206 die 12. Aug. 1854.

*Ad dubium*: Quando substituenda est homilia dominicae, vigiliae etc. aut